



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput XXII. De quibusdam spoliatoribus Monasterii B. Meinulphi in speciali,
& quid quisque receperit in vindictam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

bus justos facere solet, ac discordantes concordare, non solum prædictam turbationis maculam purgatam ac sedatam voluit habere, sed etiam ipsum turbatorem ad ejus servitium de prædictis malis revocare; quapropter cor prædicti turbatoris in melius tunc permutans eum apud supradictos Regulares Regularem fieri ordinavit. O felix impugnatio, per quam nocivus capitur impugnator! qui & alios capere laboravit; etenim ita contigit, quod non solum de lupo persequente agnus fieret, sed & paupertati eorundem Regularium cum suis propriis clenodiis ac aliis temporalibus bonis subveniret, nam omnia sua secum tulerat ad præfatum Monasterium. Iste itaque Frater longo tempore sanus inter Fratres vivens, tandem cum Domino DEO placitum fuerat, eum in senectute bona abstulit ab hoc mundo.

CAPUT XXII.

De quibusdam spoliatoribus Monasterii B. Meinulphi in speciali, & quid quisque receperit in vindictam.

Postquam dictum est de quibusdam Persecutoribus Canoniorum Monasterii B. MEINULPHI, nunc de illis dicendum restat in speciali, videlicet quid quisque in eos commiserit, quidve pro commissis receperit in vindictam. Itaque fuit vir quidam, qui prædictorum Canoniorum equos abstulit per rapinam, quibus ablatis postquam eos vendiderat, contigit, ut idem in terra nationis suæ, & peroptime sibi nota, ut puta, per quam sæpius solitus ire debebat, videlicet inter oppidum montis Martis & castrum Padberg, claro die circa viam ibidem errans iret, nec à tali erroris sui loco declinare potuit quovis modo. Et ecce Domino Friderico de Padberg strenuo milite cum suis viam faciente per locum, quo prædictus sic errabat, ab uno de servis suis intimatur, quod ille errans prope viam Monasterium Bodecense equis spoliasset, quo audito cum caballo ad eundem celeriter se divertens, propria manu injecta eum suis servis tradidit, sicque ad præfatum oppidum ducebatur. Ubi miles antedictus eundem in manus eorum resignans ait, ut ita de homine ipsis per se præsentato agerent, quod justitiam sibi, prout meruit, exhibere non cessarent. At illi causâ dijudicatâ ipsum laqueo

E ;

su-

suspenderunt. Quidam etiam Comes de Woldige Otto nomine DEI vindictâ perculsus est, postquam in præfatum B. MEINULPHI Monasterium per suos rapinam exercuerat. Nam statim totalis pars sui Dominatûs, quam Comes de Woldige pro se & suis hæredibus hæreditario jure possederat, per varios inimicorum incurfus in tantum depirari ceperat, ac si non post multos annos depauperari deberet, prout in præsentiarum cernitur actitari. Nec immeritò, nam præfatus Comes non solum cum suis militaribus præmemoratâ rapinâ peccatis se involvit, sed quàm plures Oppidi sui oppidani dictæ spoliationi interfuerunt. Sicut ergò prædicti militares cum præmemoratis oppidanis dictam rapinam simul perpetrârunt, nec supradicto satisfecerunt Monasterio, damnum absque causâ illatum non impunitum permansit. Plures enim de his, qui prædictam rapinam violenta manu abstulerunt, divinâ animadversione percussi cæteris terrorem, ne consimile malum in Religiosos committerent Viros, incusserunt. Officiatus itaque prædicti Comitis nomine Fridericus Rumst, qui circa dictam rapinam tanquam Dux & Rector exstiterat, post factam spoliationem demeritis suis exigentibus non solum à domo dicti Comitis expellebatur, sed & in magna paupertate vitam uti & in variis miseriis traduxit. Alius ex dictis Raptoribus in loco mortuus est repertus, quem dum, qui præsentibus erant, diligentius intuerentur, inveniunt collum ipsius eversum & gyratum, prout de quibusdam dicitur esse factum, qui in manus dabantur inimici. Alius de præfatis, cum jam per infirmitatem circa finem vitæ constitutus esset, peccato mortali per venereum actum se involvens miserabiliter de hoc mundo sublatus est. Unus etiam ex illis patibulo affixus erat, cæteri verò complices, quo modo hinc moriendo recesserunt, longum (ut oppinor) esset explanare. Fuit & alius miles nomine Wrede de Holthausen, qui rapinam in prædictos Regulares fecerat, qua peractâ Domino DEO permittente in tantum depauperatus fuit, quòd propter inopiam confusus externas peteret Regionem, & adhuc ignoratur, quorsum se diverterit, aut quo fine ultimum vitæ suæ clausit diem. Servus verò prædicti Militis nomine Joannes Chütteken manus violentas in beati MEINULPHI extendens bona, non diu post hoc contigit, ut gladio caput ipsius amputaretur. Alius etiam miles clandestino modo præfatum Monasterium non solum spoliavit, sed & servos suos

suos ad ipsum spoliandum exhortabatur, qui à leproforum peste postmodum infectus fuit, servi verò ejus, qui prædictum spolium perpetrarunt, impuniti minimè abierunt, nam unus eorum post perpetratum spolium leprâ (uti & Dominus ejus) infectus fuit; alius ab æmulis suis in campo interfectus. Et in hoc ad plenum satis mirari non sufficio, quòd aliqui homines audeant supradictos Regulares factò vel verbo molestare, ex quo quàm plurimis manifestum est, quòd per intercessionem B. MEINULPHI persecutores sui Monasterii damnum vel pœnam recipiunt in vindictam, prout communiter ad oculum cernitur. Erant etiam quatuor raptores, qui prædictos Regulares porcis suis spoliaverunt, & peracto spolio unus eorum divino permisso suspendebatur: secundus ad rotam damnabatur, tertius peste percussus vitam suam miserabiliter finivit, quartus verò quia prædictis Regularibus pro paupertatis suæ modulo satisfecit, de rapina vindictam minimè sensit. Audi & aliud de quodam milite, qui quædam bona Monasterii B. MEINULPHI in Menste ad supradictum Monasterium pertinentia absque consensu Abbatissæ supradicti Monasterii nomine Wabele von den Walde in possessionem sibi velut hæreditario jure possidenda acceptavit, quoddamque castellum construxit; hic, quæ mala eum secutura erant, minimè prævidebat, & quia ante ruinam cor hominis exaltatur, florenorum multitudinem, quibus abundaverat, nonnullis præsentibus ante se ponens, vanè in eis fuerat gloriatus; cùm verò jam securè in gloria sua se vivere putaret, paulatim in tantum depauperari ceperat, ut in esu nil habens, licet non ostiatim, artificiosa tamen calliditate panem mendicaverit. Sicque factum est, ut pecunia, in qua vanè antea fuerat gloriatus, à pecuniis, quas de injustis supradictæ curæ proventibus receperat, omnino consumpta fuerit, & ita finem vitæ suæ faciens in paupertate tam gravibus Excommunicationis sententiis innodatus extra cimiterium suum receperit sepulchrum. Prædicto etiam milite adhuc in vita existente, quia diversis paupertatum angustiis urgebatur, ante dicta bona Filio Fratris sui nomine Ermerdo obligavit, qui dum aliquantulum temporis eadem bona sub se habuit & possedit, similiter pauper & miserabilis factus fuit inter coæquos militares, quemadmodum prædictus miles patruus ejus. Post hoc omnes alii, qui memorata bona possederant, quæ malo titulo à sæpè dicto Monasterio B.

MEI-

MEINULPHI abstracta erant, periculum damni minimè evaserunt, nam sicut rubigo ferrum ita & bona Ecclesiastica minùs justè acquisita, si aliis bonis associata fuerint, eadem consumere non desistunt. Caveant igitur universi Monasterium B. MEINULPHI spoliare aut inhabitantes molestare, ne omnipotentis DEI manum post commissum malum, quemadmodum prædicti confusione magna perpeffi sunt, sentiant in vindictam. Quomodo quidam bona Monasterii B. MEINULPHI violenter auferentes, sibique minùs justè usurpantes nec ante obitum suum restituentes visi sint post mortem gravissimis pænis tormentari in Monte, qui vulgari nomine dicitur Lurleberg vel latine Lullus (de quo videre est in monumentis Paderbornensibus aliisque Authoribus & Historiis Westphalicis) ad parcendum famæ ac honori certarum Familiarum hîc tamen contexere supersedeo cum adhortatione, ut nemo malè acquisita (dum adhuc in vivis degit) differat restituere, ne post obitum intolerabilibus pænis involvatur, notum namque Sancti Augustini adagium: *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

C A P U T XXIII.

De gravi Ciborum penuria inter Fratres.

JAm quia dictum est de ablatione temporalium bonorum per raptores, modò consequenter de ciborum penuriâ, quâ Regulares Monasterii Budecensis longis temporibus premebantur, restat enarrandum. Nam quia prædicti Regulares de pauperculis Monasterii sui redditibus parùm gaudere potuerunt, ut præfertur, ex eo quòd magna pars bonorum dicti Monasterii per ultimam Abbatissam ipsius extraneis personis impignorata fuit; necessarium erat, ut pauperum cibus corpora sustentarent. Quapropter potagia talia qualia, sorbilia, pulmenta, & legumina præmemoratis Fratribus refectionum temporibus apposita cum gratiarum actione sunt insumpta, & utinam in prædictis ad naturæ sustentationem sufficientiam habuissent. Sæpius etiam cum jam pransuri erant, panes foris à vicinis mutuabant, & quòd prædicti DEO devoti Fratres graves molestias

EX